



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.I.], 1579

VD16 V 541

De Corpore Vitiatis ordinandis, vel non. Titulus XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

Quæ causa Impulsua?

Causa impulsua prohibitionis est, vilitas personæ, quæ facilè ex officio irregularitatem contrahit. Secundò, præsumptio contra eos, quòd non transeant ad clericatum voto religiosis, sed ut fugiant ratiocinia dominorum, c. legem, dist. 52. c. 1. 2. & 3. dist. 51.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, ne Ecclesia molestetur, & incommoda patiatur, propter tales, si, ob redditas rationes repeatantur, c. præterea, dist. 51.

DE CORPORE VITIATIS
ordinandis, vel non.

*Titulus XX.**Continuatio.*

Vitium corporis magnam deformitatem inducens, licet non appareat, mala tamen vitiati intentione acquisitum Ordinationi impedimento est.

Quis dicitur vitiatus corpore?

Vitiatus corpore dicitur, qui debilitate, deformitate, aut impotentia membra, vel totius corporis laborat, c. cùm de tua, extr. eod.

H 4

Quæ

Quæ vitia corporis sunt causa Efficiens Irregularitatis?

Causa irregularitatis sunt, vitia apparentia, quæ magnam deformitatem faciei, vel corporis inducunt: siue culpa vitiati, siue absque culpa, & casu contigerint: ut est cæcitas, vel magna deformitas faciei, vel defectus corporis apparenſ. unde cæcus, monoculus, vel maculatus in facie, promoueri non possunt, c. cùm de tua, extr. eod. c. si euangelica, dist. 55. Et censetur potissimum deformis defectus corporis, qui sacris tractandis impedimentum prestat. Vnde Innocetius III. Abbatem mutilatum manu, qui in promotione sua id fraudulenter tacuerat, ab Abbatiae officio amoueri iussit, c. exposuisti, extr. eod. Secundò irregularem efficiunt, vitia non apparentia, vel apparentia quidem, sed quæ non adeò deformem clericum reddūt: sub distinctione quadam. Aut enim cleroſi casu, vel nolenti, & inuitio, vi vel iniuriâ Medicorum, vel hostiū, sunt illata. Ut si per infidias hominum, incuriam Medicorum, vel in persecutione hostiū Eunuchus factus, vel in aliquo membro, ad sacri tamen ministerij functionem necessariò non requisito mutilatus, vel ita natus fuerit. Et his casibus, neq; ab Ordinibus, neque dignitatibus arcetur, c. si quis à Medicis, c. si quis, pro ægritudine, dist. 55. c. ex parte, extr. eod. c. Eunuchus, dist. 55. Aut sua culpa abſcissio virilium, vel membrorum mutilatio contigit, ut si maritus clericum apud uxorem inueniat, & de membris eius vindictam sumat, vel sanus ſeipſum abſcidit, vel membrum aliquod

aliquid amputauit. Aut sine culpa, tamen voluntariè affectauit, vt ab alijs abscederetur, vel lèderetur. Et ad sacerdotij iura aliosqüe Ordines vel dignitates non admittitur, 24. quæst. 5. c. placuit, c. maritum, dist. 33. c. si quis abscederit, &, c. lator, dist. 55.

Quæ causæ huius prohibitionis?

Causæ prohibitionis sunt, 1. quia, qui sibi ipsi virilia diminuit, vel abscidit, vel mutilationem membra inducit, vel ab alio, vt fieret, affectauit, sùi homicida est, & conditioni Dei inimicus, c. si quis abscederit, dist. 55. Verùm in alijs, qui sine culpa sua, ab alio, vel casu fortuito, mutilantur, est, sicuti irregularitatis, ita etiā prohibitionis, causa deformitas in membris apparentibus, & debilitas tam in apparentibus, quam non apparentibus. Cuius consideratio: quæ, scilicet, deformitas, vel debilitas impedimento ordinationi, vel vltiori promotioni sit: relinquitur Superioris arbitrio & discretioni, argumento, c. 1. &, c. 2. &, penul. extr. de cler. ægrot.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Sacerdos, qui sine culpa virilia sibi fecit abscondi, credens se obsequium præstare Deo, præter altaris ministerium, officium suum exercere potest, c. significavit, extr. eod.

Vitium magnam deformitatem corporis inducens promotioni ad dignitates, & ad Ordines obstat, c. cùm de tua, extr. eod.

H 5 DE